



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 82. Colloquium secundum Lutheri cum eodem Cardinale

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

quarundam distinctionum effugio elusit, Sæcul. XVI.  
 tandemque affirmavit, cum homo errori A.C 1518.  
 obnoxius sit, etiam ut homo ab errandi  
 periculo immunis non sum, hinc doctri-  
 næ meæ rationem vel disputando, vel  
 scribendo reddere volo. Hic erat primi  
 colloqui exitus; quo soluto Lutherus,  
 cum errores suos revocare, a Legato ve-  
 hementer urgeretur, deliberandi spacium  
 efflagitavit.

### §. LXXXII.

#### *Colloquium secundum Lutheri cum Cardinale Cajetano.*

Postera die Lutherus secundo compa-  
 ruit, quodam Notario, ac quatuor  
 Senatoribus Augustanis eum comitanti-  
 bus; quibus etiam præsentibus suæ sub-  
 missionis testimonium conscriptis desu-  
 per publicæ fidei literis, quas protestatio-  
 nem suam vocabat, excipi petiit, eamque  
 coram Cardinale Legato recitavit, his  
 verbis conceptam: *Ego Frater Marti-  
 nus Luther Augustinianus, protestor, me  
 colere & sequi Sanctam Romanam Eccle-  
 siam in omnibus meis dictis, & factis, præ-  
 sentibus, præteritis, & futuris. Quod si  
 quid contra, vel aliter dictum fuit, vel  
 fuerit, pro non dicto haberi & habere volo.*  
 Dein ad conditiones sibi a Legato Pon-  
 tificis jussu oblatas, respondit, & quidem

A a 3 ad

Sæc. XVI.  
A.C. 1518.

ad primam, quod nihil asseruisset, nisi duntaxat disputandi, ac veritatis dilucidandæ gratia, nec etiam sciret, quod veritatem ullo pacto impugnasset, atque ideo nequidem scripta retractare posset aut deberet, nisi erroris convinceretur; cetera inquiebat, minus esse sibi consciū, aliquid dixisse contra sacram Scripturam, contra Concilia, contra Patres, imo nequidem contra Decretales Pontificum, qui ante Clementem VI. Sedem Apostolicam tenuissent, attamen quia homo esset, qui errare posset, velle se submittere judicio & determinationi Sandæ Ecclesiæ, ac nominatim Doctoribus insignium Universitatum Basileensis, Friburgensis & Lovaniensis; præcipue vero Parisiensis, quam dicebat studiorum parentem, & ab antiquo in Theologia florētissimam (\*).

§. LXXXIII.

(\*) Ita Continuator ex Cochlæo loc. cit. cuius tamen verba percipere haud ingratum erit, ut ex illis, quæ adjecta, quæve dempta fuerint, Lector perspicere valeat: Protestabatur, se non sibi esse consciū, aliquid dixisse, quod sit contra S. Scripturam, contra Ecclesiasticos Patres, contra Decretales Pontificum, aut contra rem rationem. Attamen . . . velit se submittere: . . . judicio Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus, nominatim vero . . . Aut si nec id satis sit, etiam Parisensi, quam dicebat